



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XLV. Nisus rex in avem haliaetum: Scylla filia in cirin volucrem
vertitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XLV.

Nifus Rex in avem haliætum: Scylla filia pariter
in cirin volucrem vertitur.

8. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Mulieri secretum non committendum. 2. Proditionis detestatio.

Rex oppidi Megaræ & vicinæ regiunculæ erat *Nifus* opibus & civitate abs se exstructa, *Nisa*que appellatâ, sat felix, si *Scyllam* filiam non habuisset. Cùm enim *Minos* Jovis & Europæ filius, Cretæ Rex, Atheniensibus ob filii *Androgeo* necem (de quo in *Theseo* egimus) bellum inferret, antequam ipsam urbem *Atticam* obsideret, statuit vicina expugnare oppida, initiò à Megarensibus factò. Quam civitatem cùm *Minos* arcta obsidione premeret, vix tamen spes esset illius potiundæ, evenit, ut *Scylla*, *Nifi* regis filia, curiositate speculandi exercitûs, Cretici, præaltam murorum turrim conscenderet, ipsûmque regem Minoëm mœnibus obsequitantem contempleretur accuratiùs, quàm egregiè pudicam deceret. Cùmque hoc faceret frequentius, ex fumo, ut dicitur, in flammam, ex aspectu in amorem incidit. Et mox exarsit adeò, ut ad viam cupiditatis suis muniendam, constituerit patriam hosti prodere. Cæterùm non ignara, purpureo *Nifi* parentis crine Patriæ fatum, & totius civitatis salutem contineri, quæ capi minimè possit, illo non resectò; de nocte patrem non observata aggreditur, dormienti crinem fatalem abscindit, & cum præda per medios hostes ad regem tendit, habere se, quæ ad magnam ipsius felicitatem pertineant. Benignè admittitur, illecebras orditur à salutatione blandissima, causam accessûs exponit, simulque crinem, & cum eo civitatem, caputque parentis prodit. *Minos*, qua erat mentis generositate, mulieris improbitatem averfatur, parùm sibi decorum existimans, hostile oppidum non vi, sed proditione muliebri capere, qui in armis & virtute omnia ponebat; jubet ex oculis faceffere flagitium, additis diris in caput scelestum execrationibus. Neque segniùs instituti belli rationes persequitur; donec oppido tandem, arcæque potitus, sui juris utrumque fecit, legibusque captivæ civitati impositis, retro in Cretam vela vertit. *Scylla*

se

se desertam, contemptamque videns, & omnibus insuper exosam, amisâ patriâ, calcato omni decore ac honestate, profligatâ pudicitia, eò demum redacta est insanâ, ut victoris classem secutura, sese in mare præcipitem daret. Quam inter undas fluctuantem, & jam carinarum extremam præstantem, conspicatus Nisus pater, qui paulò antè mutatus fuerat, in haliaëtum (ex genere aquilarum vel accipitrum, vulgò *falconem*) aduncis impetit unguibus, iratòque rostro. Scylla metuens sibi ab infestante volucere, retrahit manus à navigio, & aura sublevante, subitas induit plumas, inque avem, *cirin* nomine (ἀπὸ τῆς κείρου, à tondendo appellatam) transformatur, quam quidam *ataudam* seu *cassitam* esse arbitrantur, quòd comam acuminatam velut galeata in capite gerat, patri scilicet desertam.

Ethica.

I. (a) Primum documentum. Purpureus atque fatalis *Nisi* crinis significat, arcana regum & sanctiora consilia non evulganda, præsertim feminis. Etiam Samson in crinibus vires, oculos, libertatem, vitam habebat, sed omnia perdidit, quia secretum suum auribus Dalilæ commisit. Pulcherrimorum consiliorum frustrationes, & fœdi rerum exitus secretorum evulgationi adscribendi sunt. Infirmiori sexui si quid arcani credas, id in vas pertusum te immisisse putes, per mille rimas effluet. Admiranda fuit in Papyrio, puero etiamnum prætextato, taciturnitatis observatio; qui etiam matrem sollicitantem, quid in Senatu fuisset actum (nam ei in curiam cum parente intrare licebat) rara silentii fide in ætate tam tenera, decretorum ignaram esse voluit, uti scribit Gellius lib. I. c. 23. Taciturnitas, inquit Scribanus c. 15. in Politico-Christiano, est optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum. Arcana consilia PP. Conscriptorum Romæ multis annis nemo senator evulgavit. At nescio quomodo his moribus, aut nocturnæ uxorum blanditiæ, aut imprudens filiorum ac parentum amor, aut amicitia necessitudo, aut domesticorum fiducia, occultanda extorqueant. Idem cap. 27. Jam in servorum multitudine magna atriâ observantium, quis celet omnia? & quod secretum spes mulieris creditum? nullis propè tenetur secreti legibus mulier: prærogativa huius sexus est, nunquam, nusquam silere. Vulgari amat, & ut videri, sic audivi; & secretissimum suum inimicæ aperiet, si desit amica, si socia, si conubernalis, quæ nunquam mulieri defuit. Quid? quòd voluptatis suæ, adeoque & libertatis magnam partem putet, si quod concreditum ipsi, ingenua

(a) Mulieri secretum non committendum.

gentia quadam libertate in amica profundat sinum. Et certè, quisquis rem mulieri commisit, vulgari voluit; nec certior alia evulgandi ratio, quàm vel unius plerumque mulieris fidei rem committere, maximè si secretum pactus fueris: quò enim & tu sanctiùs imperaveris, & sanctiùs illa sponderit, hoc avidiùs in narrationem properabit; imò & provolabit. Neque enim satis illi ivisse est, volare vult. Alas addidit narrandi credita desiderium. Addidit & timor: vereri enim credas disrumpendam, si diutiùs hoc è recenti torculari mustum pectoribus stringat. Ne mirere: servitutis enim quoddam genus esse putat, non posse loqui; libertatis, posse. Et quis vir hic accuset mulierem? si silere ipse non potuit, cur secretum à muliere sperat? in criminis paritate, nonne maius primum manet auctorem? vult secretum suum vir? imperet linguæ: laxavit? ne damnent mulierem, cuius omnis sapientia in ore est. Hæc vir ille doctissimus. Magno suo malo Nisus didicit, purpureum feminæ, & quidem puellæ se crimem detexisse. Rex fuit; diademate caput cinxit; regnum ipsum eâ fasciâ protexisset, Si capillos eâ involvere cautiùs voluisset.

II. (b) Minos insignem iustitiam, etiam inferorum iudex constitutus, animi sui generositatem & celsitudinem hîc quoque luculenrer exeruit; nam perfidiam feminæ dum abominatur, virum se ostendit fortem, & imperatorem strenuum. Non fraude, nec prodicionibus oppugnandus est hostis, sed armis & virtute. Alexander certè magnus tantum ab his fallendi artibus, ut Ducibus suis dicentibus, Persas intempesta nocte apprimendos videri, responderit, latrunculorum & furum istam esse solertiam; sibi gloriam in consilio habenti, Darium palàm luce aggredi certum esse. Curt. lib. 4. Egregium facinus M. Furii Camilli describit Livius Dec. 1. lib. 5. Ad quem Faleros urbem obsidentem pædagogus (seu ludimagister) optimatum filios ludibundos in castra perduxerat, ut civitatem Camillo proderet. At is denudatum proditorem, vinctis post tergum manibus, pueris verberandum, & Faleros reducendum tradidit; eaque humanitate & fide Faliscorum omnium animos, & ipsam etiam urbem deditione occupavit. Sic Timocharem Pyrrhi Epirotarum regis medicum, proditorem, Fabritius consul respuit, cum dicto: Urbem à filio Martis conditam, armis bella, non veneno gerere. Valer. Max. lib. 6. de Justit. & Tiberius Imp. Catto cuidam Ariminum, præcipuum Germanorum decus & Ducem, promittenti veneno necaturum, respondit: non fraude, nec occultis insidijs, sed palàm & armatum populum Rom. hostes suos ulcisci sole-
re. Tacit lib. 2. annal. Rectissimè Curtius lib. 5. Falli eos vehemen-
ter,

(b) *Perfidia ac prodicionis detestatis.*

ter, qui proditionis præmia sperent, aut expectent. Nam etsi vulgò dicitur: proditionem ab hostibus amari; proditores non laudari; Minos tamen justissimus neutrum probavit. Nota est historia de *Tarpeia*, virgine Romana, quæ Sabinis hostibus Capitolium, arcem Romanam, prodidit, præmium pacta quidquid sinistris manibus haberent: aureas verò tunc armillas brachijs gestabant. Accepti in arcem, in sceleris mercedem, pro aureis donis clypeos, quos lavâ ferebant, certatim in eam conjecerunt, & necarunt. Livius. Ita contigit *Scylla*, quæ ut Pausanias refert in Corinthiacis, navi secuta Minoem pro regij matrimonij societate, turpem ac infelicem, seque dignum vitæ exitum invenit; quippe jussu regis præcipitata in undas, fluctibusque in littus expulsa, experta sepulturæ, pabulum obscœnis alitibus jacuit; inde fabulæ data occasio penas ei & volatum affingenti.

SYMBOLUM XLVI.

Paupertas hospitalis Philemonis & Baucidis,
conjugum.

8. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Philemon & Baucis multarum virtutum exemplum. 2. Paupertas, probitatis magistra. 3. Paupertas læta. 4. Paupertas liberalis. 5. Remuneratio paupertatis beneficæ.

Fortè Jupiter comitante Mercurio, humana sub specie, terrarum peragrabat orbem; delatusque in quoddam Phrygiæ oppidum, pernoctandi & hospitandi gratiam ab incolis rogabat. Exclusi sunt undique. Denique à *Philemone & Baucide*, grandævus simul ac pauperculus conjugibus, in agresti quadam casa, & tenui apparatu, neque enim aliter res ferebat domestica, excipiuntur. Anserem illi habebant unicum, & hunc ipsum hospitibus mactare parabant, nisi is volatu tardas arate effugisset manus, præsidiumque apud Deos reperisset. Delectati tanta facilitate Divi, ut non immemores officij, sic neque injuriarum sese ostenderunt esse. Jubent in vicinum montem ascendere hospitatores suos, & ibi